

buitur? Quod difficultatem faciat in care nihil est, solemne enim erat Antiquis, ut nullum in Diis sexum distinguerent; quemadmodum neque satis discrimen illud observat S. Scriptura, quæ de Astarte, & Dagonæ agens, Deos utrosque, nullo facto discrimine, appellat [d]; cum tamen Dagon facile ipsa esset Dea Derceto, sive Atergatis; Astarte verò Dea esset Sydoniorum. Ufistatissima etiam erat formula Paganorum inter orandum: *sive tu Deus es, sive tu Dea (e)*; quemadmodum etiam constat ex relata apud Macrobius prece pro impetranda ope Deorum, quorum patrocinio obfessa Urbs subdebatur (f). Itud autem capitale Paganæ Religionis dogma, si unquam aliàs, potissimum in Luna observabatur, quæ utrumque sexum in se coniungere credebatur, ait Plutarchus (g). Non ignota sunt nomina Deus Lunus, & Dea Luna: quin & Apollo ipse sub utriusque sexus habitu, quemadmodum & Mitra, colebatur. In superioribus observavimus ex Herodoti testimonio, eandem Deam, quam Assyri Mitram appellabant, hanc sub nomine Alilat Arabes coluisse. Luna apud Syros, Armenos, & in Mesopotamia virile erat Numen. Virilibus vestibus induta pingebatur, quemadmodum & in Numinis quibusdam Græcis hodie usque apparet, ubi virili etiam titulo, atque Armeno capitis integumento exhibetur. Narrat Spartianus veteres Charrarum in Mesopotamia incolæ in ea fuisse persuasionem, ut quicumque Lunam pro Dea haberent, ipsi nunquam uxori suæ non subderentur; qui verò pro Deo, nunquam non uxores suas sibi morigeras habituros [b]. Addit consuevisse quidem Græcos, & Ægyptios muliebri nomine Lunam appellare quandoque; nunquam tamen nisi tanquam Numen virilis sexus in mysteriis suis habuisse: *Mysticè tamen Deum dicunt*. Bacchus quamquam ipse Sol esset, ut supra ostendimus, cornibus tamen instructus, atque muliebri amictu, uti ex Porphyrio constat, (i) pingebatur.

Est igitur ambigendi locus, an Moloch nomen sit Lunæ potius an Solis, cum Dei sive Deæ titulus indiscriminatum usurpari consuevisset. Ex quo etiam illud consequitur, nihil esse cur Lectores mirentur, si Anamelech, Numen Regis titulo insignitum, pro Dea habeamus.

Sed agedum, demonstremus humanis victimis non Soli tantum, sed Lunæ etiam litari frequenter consuevisse. In regionibus ad Araxem sitis [ubi Sepharvatarum patriam constituimus] authore Strabone, Luna colebatur, cujus erat Templum insignè ad Iberum (k). Hujus Fani Sacerdos secundam obtinebat post Regem dignitatem, frequentem mancipiorum turbam Numini consecratam in obsequiis habebat. Accidebat autem quotannis, ut ex tanta mancipiorum turba aliquis Divino, uti ferebatur, instinctu in lucum se se subduceret, ubi tandiu errabundus vagabatur, donec à Sacerdote captus, catenis oneratus, toto anno lautè in carcere detineretur. Eo anno evolutò, unà cum aliis victi-

d 1. Reg. 3.7. Duræst manus ejus super nos, & super Dagon nostrum 3. Reg. 11.5. 33. Adoraverunt Astartem Deum Sydoniorum. e Arnob. contra Gentes. f Macrobi. Saturn. l.3. cap. 9. g De Iside, & Osiride.

h Spartian. in Caracall.

i Apud Euf. Præp. l.3. cap. 11.

k Strab. l.11.

mis Numini immolandum adducebatur. Nec alterius erat generis Sacrificia Deæ Syriæ, (quam facile Lunam credimus) ut ex Luciano constat. Narrat enim clausos in saccis pueros delatos à parentibus in Temp'i pinnaculum, unde præcipites in forum agerentur; lugentes autem casum suum pueros, ita solari consuevisse parentes, ut dicerent, non à se eos genitos fuisse, sed à bobus. Cruenta Dianæ sacrificia, quibus in Taurica Numen colebatur, notiora sunt; quàm ut in præsentiarum à nobis commemorentur; ejus autem cultum, & ritus in Cappadociam, & Arabiam in vestros Strabo testatur (l).

Duo super sunt Romæ simulacra, in eodem marmore insculpta, quæ nostro argumento servare possunt; extant autem in hortis Farnesianis, & ipsissima esse Numina credit Seldenus, quæ referente Zozyro, Palmyrâ Romam ab Aureliano delata sunt. Inscripta marmoris legitur hæc Græca epigraphæ: *Agilobolo, & Malacbelo Diis patris*. Credit autem idem Seldenus, Agilobolum eundem esse ac Elagabalum Deum Palmyrenorum, quem Antoninus cognomento Heliogabalus Romam transferendum curavit; derivat autem nomen illud ex Hebræo *Hagli*, rotundus, & *Baal* Dominus; Porro Heliogabalus lapis erat rotundus, ut jam supra innuimus, & Solem designabat. Malacbelum verò ita interpretatur, ac Deum Belum; ego tamen maluerim Malacbelum Lunam reddere. Fateor quidem nomen illud virile esse; sed non semper muliebri nomine appellatam Lunam supra ostendimus; quin & Malacbelus plerumque cornua habet Lunæ in dorso expressa, quod Lunæ unice convenit. Nomen Malacbelus ad litteram sonans Deus Rex, summam ejus Numinis venerationem demonstrat, simulque probat, quod supra à nobis insinuatum est, nempe Moloch, cum Deo Luno confundi.

Tandem in promptu habemus Authorem, qui singulare aliquid de Ammonitarum Numine assert. Is est celeberrimus Itinerator Benjamin, qui venisse se Gebal Urbem Ammonitarum referens, vetus invisit Templum, & in Templo vetus, quod supererat, ejusdem gentis Numen. An mulierem, sive marem referret, silet omnino; ceterum, ait, simulacrum erat lapideum, auro superinducto nitens, quod throno assidens, duas utrinque foeminas, totidem thronis assidentes, habebat; ante foeminas Ara posita in usum sacrificiorum, & aromatatum. Ex Authoris silentio colligimus, nihil novi in Numinis simulacro spectatum fuisse; ex quo adductis supra ex Rabbini descriptionibus suspicio non levis. Nec est cur diversa ab eo Numine credamus alia finitimarum gentium; quamquam enim in remotissima antiquitate rudes coluisse lapides, sive columnas populos illos constat; successu tamen temporis hominum simulacra rudes illi lapides ad decus Religionis induerunt. Si autem in medium iterum adducere licet *Heliogabalum*, possumus non ineptè ejus nomen ex *El* & *Gabal* derivare, ut sit Deus Gabal, nempe Sol in Urbe Gabal cultus, vel Deus terminorum; has

l Strab. l.12. & l.16.

has enim omnes significationes commodè reddidit Hebræum Gabal. Possit etiam non incongruè derivari ex *Hel-Haggabal*, nempe Deus creator, vel Sol creator, quem sæpè titulum apud Paganos Sol obtinebat. Porro *Gabal* Syriacè & *Gabil* Arabicè sonant creare.

Antequam Dissertationem claudamus, objectionem occupare oportet, ex eo scilicet deductam, quod negotium facere videantur varia illa nomina uni eidemque Deo juxta nostram sententiam indita in regionibus inter se finitimis, nec sermone, neque religione plurimum inter se discrepantibus.

Sed his facile reponimus, varia fuisse ejusdem Dei nomina, nedum apud varias gentes, sed in una etiam eademque regione. Sed & inter Numina cætera facile in ea re superant Sol & Luna, quemadmodum & latior illis præ cæteris cultus & religio. Vetus Poeta Græcus (m) refert, Bacchum apud populos supra Euphratem Belum appellari, apud Lybes Ammonem, apud Ægyptios Apim, apud Assyrios Jovem. Sol apud Aufonium ita loquens inducitur: *Ogygia me Bacchum vocat, Osirin Ægyptus putat, Arabica gens Adoneum*. Nimiè esse minus, si omnia Solis nomina à Macrobio recensita referri hic (n) poterimus.

m Belo ep. Euphretao, Libys cailemenos Ammon.

n Macrobi. l.1. cap. 18.

\* Arithmi.

a Num. 1. & 2. & 3. & 4.

# IN NUMEROS PROLEGOMENON.

**H**ebæum hujus Libri nomen ex primis verbis in Textu forte occurrentibus repetitum est; *Vajedabber*. Alii inter Judæos ex quinto ejusdem Textus verbo appellant *Beniadebar*; facile quod historiam rerum gestarum in itinere per desertum spatio 39. annorum continet. Apud Græcos (\*) & Latinos inscribitur *Numeri*; quod scilicet priora Libri capita censum populi & Levitarum referant. Perfecto jam & consecrato Tabernaculo, Moyses jussus à Deo censum populi habuit [a]; singulæ Tribus singillatim censitæ sunt; omnium postrema & seorsum Tribus Levi. Cum autem præpedi iter in Chanaanitidem maturandum esset, Moyses regulas in castrametationibus, & in itinere inter singulas Tribus servandas, sicut etiam cujusque familiæ Leviticæ munera, direxit. Succedunt in quinto, sexto, octavo & nono capite peculiæ leges quamplurimæ, ut de iis, quos contracta aliqua legalis macula extra castra amandabat; de aquis Zelotypiæ, de Nazareis. Descripta simul leguntur munera à singulis Tribuum Principibus Tabernaculo post ejus erectionem oblata; sicut etiam nonnulla repetuntur de partibus Tabernaculi, Sacerdotum con-

secratione, & Festo Paschatis. Quod tandem signum movenda atque figenda castra ediceret, in iisdem capitibus præscribitur. Castra igitur à Sinai mota sunt (b) die vigesima secundi mensis anni secundi post egressum ex Ægypto. Eà occasione Jethro, qui paulò antè supervenerat in castra, frustra rogari se à Moysè passus, patriam repetiit, filio tamen Hobab cum focero relicto. Tridui itinere in Pharan exercitus venerat, cum & viæ tædio (c) & manna fastidio, fessæ in murmur abire turbæ cœperunt. Brevi tamen excitato Divinitus incendio, quo pars castrorum absumpta, repressa seditio est. Tum Deus coturnices cupientibus carnes suppeditavit; vixque optatis escis passos immissa subito plaga quamplures exterminavit. Hinc nomen loco inditum *Sepulcra concupiscentia*. Hac occasione Deus 70. Seniores ex universo populo. Spiritus sui illapsu selectos, adjutores Moysi in regimine Israelitarum dedit.

Redierat paulò ante ad virum Sephora Moysi uxor (d), quam non rectis oculis aspicientes Aaron & Maria, nefcio quid adversus Moysen obloquuti sunt. Deus rem tulit indignè; quare immissa in Mariam leprâ septem dierum spatio è castris exulare coegit.

o Apul. Metamorphos. l.

b Cap. 10. 11.

c Cap. 11.

d Cap. 11.



c Cap. 13. & 14.

Motis tandem castris de Sepulcris conciscentia: populus venit in Cadesbarne; unde missi à Moysè in Chanaanitidem exploratores (e). Illi ad castra regressi expeditionis discrimen & difficultatem adeo exaggerarunt, ut territus populus in seditionem abiret. Hunc motum compefcere, aequiora narrantes, frustra Josue & Caleb, ambo de numero exploratorum, conati sunt. Quare Deus resumpto iterum flagello, seditiosos dispersurus omnes videbatur, nisi Moyses precibus suis intercessisset. Audita hac Dei indignatione populus, seditione pacata, Dominum rogare, petere insuper ut in hostes duceretur. Sed tamen preces; prolata enim jam à Deo sententia omnes oppetenda in deserto morte spatio 40. annorum, quo errabundi per solitudinem deducendi erant, damnati sunt. Audaciores quidem aliqui per angustias aditum tentarunt in Chanaanitidem sed ab incolis, loca superiora occupantibus, pulsati iter vertere coacti sunt. Spe igitur frustratus populus diurnam in Cadesbarne moram traxit, ubi sumptum credimus lapidationis supplicium de viro violatae religionis Sabbati, in lignis colligendis, reo (f).

f Cap. 15.

Erratum est diutius à populo in montibus Seir, variarumque in eo itinere mansionum nomina à Moysè accuratè recensentur (g). Namque de Cadesbarne ventum est in Hazerot; succedunt deinde ordine Rechma, Remnon-Pharez, Lebna, Resha, Ceelatha, mons Sepher, Adar vel Arad, Macelot, Tahat, Thare, Metca, Hefmona, Moserot, Bene-jacan, Gadam, Jetebata, Hebron, Elat, Afongaber, Cadesbarne iterum, Mosera, Salmona, Phunon, Obot, Jebarim, Torrens Zared, Mathana, Nahaliel, Bamoth Arnon in finibus Moab, & ditionis Sehon. Dum castra haberentur ad Jetebata, uti facile credimus, Core, Dathan & Abiron collatas Moysi & Aaroni supremas Reipublicae dignitates gravius ferentes, populi seditionem concitarunt, quam statim sumpta de authoribus gravissima poena, excepit. Hiscens enim subito terra Core ejusque socios absorbit; tum & delapso Coelitis igne ad 14700. virorum absorti sunt. Neque hic prodigiorum finis, sed Deus, quod Aaronis Sacerdotium ratum, etiam atque etiam maneret (h), iussit virgam ejus in Tabernaculo una cum ceteris Principum singularum Tribuum deponi, quam deinde mane alterius diei solam virentem & floribus ornatam exhibuit. Hac 39. annorum spatio, quo Israelitae per desertum errarunt. Traditis antea legibus, ad Religionem, Sacerdotes, & Politiam spectantes nonnullae adjectae sunt, de quibus in capp. 18. & 19.

g Num. 33.

h Cap. 17.

i Cap. 20.

In secunda castrametatione ad Cades Maria soror Moysi decessit [i]. Ibi etiam penuria aquarum laborans populus murmur in Ducem excitavit; quare Deus iussit Moysen silicem percussit, de qua statim aqua erupisset. Ille indignatione in populum tam insigniter infidelem commotus, de sive prodigii aliquantò subdubitare sili-

cem percussit, visus est. Culpam poena sequuta est; namque & extra Terram Promissionis obeundum ipsi, & extra illam, sepulcrum ferendum eo uno de crimine fuit. Mox Aaron in castrametatione ad Mozeram in monte Hor, in finibus Idumaeae diem clausit.

Sub hac Moyses Regem Idumaeae per nuncios rogaverat, ut liberam per regionem suam transitum in Chanaanitidem, Hebraeis faceret. Eo recusante, circumduci exercitum, ut ab altero latere aditus tentaretur, oportuit. Euntibus Arad Rex Chanaanæus hostis occurrit, commissoque praelio, inclinare primum Israelitae, deinde resumptis viribus plenam de hostibus victoriam retulerunt; redactaque in potestatem regio, anathemati subiecta est (k).

k Cap. 21.

Hujus victoriae laetitiam luctus excepit; nam pro insita gentis indole ad murmur reversi Israelitae, immixtis subito in castra serpentibus immedicabili morfu afflicti sunt. Salutare fuit, æneum anguis simulacrum, quod in hasta iussu Moysi erectum sanitatem respicientibus restituebat. Hac in castris ad Salmona contigisse creduntur.

Cum ad torrentem Arnon pervenissent, rursus tentando in Chanaanitidem transitu per regionem Amorrhæorum, nuntii ad Sehon Regem ejusdem gentis missi sunt. Ille non recusavit tantum, sed exercitum in Hebraeos duxit. Victoria Israelitis fectit, atque victoriae pretium Regnum fuit. Commissum est etiam alterum praelium cum Og Rege Basan, eodem successu. Interim Rex Moab, ne quid simile sibi contingeret metuens, (quod & ipse transiit, Israelitis negaverat) Balaam celebratissimum Praestigiatorum de Mesopotamia accivit [\*]. Sed ille veniens pro maledictis fausta omnia in populum apprecari coactus est.

\* Cap. 22. 23.

Magus hac sibi invito accidisse, simulque & itineris labore, & expectatione praemiorum, quae sibi à Rege Moab sperare poterat, frustratum se dolens, perniciosum in Israelitas, quin & Regem ipsum, atque in se tandem malum auctorem consilium eidem Regi suggestit. Persuasit enim, ut missis ex Madian & Moab in castra hostium puellis, ad idololatram illos & scortationem pelliceret. Res pro voto successisset, nisi gliscens jam inter Hebraeos malum, Levitarum zelus in eadem scortantium irruens repressisset. Ea occasione ad 24000. virorum trucidata sunt (l). Iussit deinde Deus bellum inferri Madianitis, quod tamen usque post peractum non diu post populi censum (m), dilatatum est. Constituta etiam à Moysè leges pro dirigenda hereditate puellarum, quae patre sine maribus decedente, in bona paterna successissent, quemadmodum & puellis Salphaad tunc accidisse constabat. Constituta quaedam pro Festis, Sacris, Votis &c.

l Cap. 25.

m Cap. 26.

Tandem ad praelium cum Madianitis, quod postremum fuit omnium sub Moysè gestorum, processum est. Ex hostibus ne-

mo, qui in potestatem Hebraeorum veniret, servatus est, exceptis puellis innuptis; eodemque cum ceteris fato Balaam sublatus. Tota regio inter Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manasse distributa; ea tamen conditione ut fratribus suis in expeditione Chanaanitidis suppetias latari venirent [\*].

\* Cap. 31.

Cum Moyses denegari sibi à Deo Jordanis transitum comperto novisset, divisioni Chanaanitidis, latis edictis, antea providit; addito simul mandato, tum ut nemini Chanaanæorum parceretur, cum

ut fors de singulis portionibus distribuendae regionis decerneret. Iussit insuper separari Urbes in Levitarum sedem, ex quibus aliqua jure asyli pro iis qui imprudentes hominem interemissent, sacræ haberentur. Interdicta tandem connubia illa, quibus distributiones agrorum per singulas Tribus turbarentur. Hac Libri Numerorum summa.

Hunc Librum digestum à Moysè credunt sub vitæ suæ exitum, ex Ephemeridibus à se antea pro data occasione scriptis.

# DISSERTATIO

## DE POLITIA SIVE RATIONE JURIS dicundi apud Hebraeos & potissimum de Sanhedrio.

**R**eipublicæ Hebraeorum constituta crepundia ex lata à Deo in Monte Sinai Lege, susceptoque à Moysè populi regimine, ac tandem investa ad normam Divinarum Legum politia repetenda sunt. Frustra enim in populo, dum in Aegypto versabatur, certam politiam, certosque Judices Israelitas pleno jure regnantes exquiramus: quos enim operibus fratrum praepositos (a), sive quos Seniores appellatos (b) in Scriptura novimus, iis sponte quidem populum paruisse, nullam tamen eos cogendi habuisse auctoritatem, planum est. Moyses omnium primus plenum in populum suum jus supremamque auctoritatem obtinuit. Solus omnia Reipublicae onera sustinuit, donec monente Jethro socio suo, in partem laboris Selectos ex fratribus accivit. Consultissimus enim ille Senex animadvertens unicum virum juris dicundi inter populum majus ferre pondus quam sustineri posset, selectos sibi viros ut adiret Moysi auctor fuit (c). Ejus igitur consilia sequutus Moyses (d): *Electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore.* Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.

a Exod. 5. 6.

b Exod. 3. 16.

c Num. 11. 16.

d Exod. 18. 25.

26.

tissimi Senatûs, de quo nos infra fufus, fundamenta collocant. En igitur Senatus 70. Senioribus constitutus, cui Moyses praeset, omnesque simul pro eo, quem à Deo habuerant, prophetiae spiritu jura populo dabant. Mansit tamen simul constituta auctore Jethro antea politia; quibus Judicibus collatam credimus auctoritatem dirigendi res civiles, ad politiam & militiam pertinentes; quemadmodum & judicia omnia ad Senatum septuaginta deferebantur; exceptis tamen causis gravioribus, de quibus Moyses ipse cognoscebat. Maluit tamen Rabini, nec injuria fortasse, hoc septuaginta Seniores ex ipso Judicum sub Jethro constituto numero fuisse.

Ita constituta res toto itineris per desertum spatio feliciter 39. annis circiter obtinuerunt. Nec sane aptior alia politia inveni potuisset, imò vix aliter deducendus videbatur populus, qui in anam veluti coetum coalescens, ambulantis Civitatis speciem referebat. Coetus faciles erant & communes, litium pars maxima, quod agrorum & latifundiorum divisio nulla esset, succisa; quare parvus Judicum numerus totam Rempublicam facile administrabat.

Verum cautè reputans Legislator futurum, ut in Terra Promissionis ea politiae ratio haberetur incommoda, iussit constitui in singulis Urbibus Judices & Magistratus (e) pro causis civium cognoscendis, ita tamen, ut si quid gravius emerisset, illud ad locum à Domino selectum, deferretur, Sacerdoti de familia Aaron, penes quem tunc temporis suprema esset auctoritas, judicandum: hujus autem iudicio non acquievisse capitale decrevit (f). Ailbi etiam cavet, si homicidium aliquod, cujus auctor lateat, commissum deprehendatur, acciri statim Sacerdotes,

e Deut. 16. 18. Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis.

f Deut. 17. 8. Si difficile & ambiguum